

tra: item quando volumus ostendere, superficiem re-
ctilineam æqualem esse circulari, quod vna ab altera
comprehendi videatur.

*Confirmatur sententia Aristotelis, quod impossi-
bile sit circulum quadrari.*

CAPVT VI.

SI diligenter expendamus, quæ ab Aristotele scripta
sunt in tractatione Elenchorum sophisticorum, in-
ueniemus causam vniuersalem & scientificam, ob quã
circulus a nemine mortalium quadrari potest. Scribit
Aristoteles, si maxime circulus quadretur, scilicet per
rationem aliquam mechanicam, hanc tamen quadra-
tionem esse sophisticam, quia non petat argumenta
ab intima rerum natura. Verba illius, cum breuia sint
& neruosa, hoc loco repetam: inquit, εἰ καὶ τετραγωνίζεται
ὁ κύκλος, ἀλλ' ὅτι ἔκαστὸν τὸ τετραγώνιον, ἀλλ' ὅτι τὸ σοφιστικόν. hoc est,
etiam si quadretur circulus, manifestū tamen est, quod
non secundum rem: propterea quadratio sophistica est.
Sciendum autem est, Aristotelem passim in suis operi-
bus, & præcipue in Organo logico, rationes sophisticas
opponere demonstrationi, quæ certissimam parit scien-
tiam. Huius rei habemus manifestum exemplum in
definitione scientiæ, quam affert lib. i. post. Analytico-
rū, contextu 7. inquit, Ἐπίστασις δὲ οἰόμεθα ἕκαστον ἀπλῶς
(ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκός) ὅταν τὴν τ' αἰ-